Druzbicki Gasp.: Tractatus de prima probatione Societatis Jesu.

Calissi: typis Soc. Jesu.
1759.

zeciu niemal
natur Ludz-
wielce dlá zba-
ż się ma y o
więc te wszyt-
nnego práwa
n y konwer-
ę wiáry y zba-
Th: S.p. 3 sum.
O4 1.

Test. 1663.

Zołnierzow ktorzy ná CHRYSTUSA wy-
prawieni, było sto y ośmnaście, á do nich
się pospolstwa przyłączyło dwieście y trzy-
dzieści. Siwych rázow odniost tysiąc sto

44. *&c.* Co samo Rythm Łaciński opisze.
1. Israéli prædicare
Decens per se; post mandare
Gentibus Apostolos.

TRACTATUS
De prima Probatione
SOCIETATIS JESU.
CONTINENS
Instructionem utilem iis, qui Religionem hanc complexi, jam ad ejus Tyrocinium admittuntur.

à R. P. Gaspare Druzbicki Socie: JESU POLONO THEOLOGO
CONSCRIPTUS
Opus posthumum
Cum facultate Superiorum
EDITUS.

CALISSII.
Typis S. R. M. Coll: SOCIETATIS JESU,
Annô Domini 1759.

CAPUT I.

Quænam ſit cauſa, & norma Scriptionis præſentis?

SCripturus inſtructionem iis, qui in prima Probatione Societatis JESU verſantur, causam priùs & formam ſcriptionis breviter Lectori explicabo. Nec aliunde utramque, quàm ex iis, quibus hæc ſcribo, deſumam. Itaque ideo hunc Tractatum conficiendum putavi, quia Tyrones eò videbantur opus habere, non alia ulla de cauſa, niſi quia Tyrones ſunt, & quidem in ipso Tyrocinio Tyrones; quos proinde manu ad omnem Religioſæ vitæ inchoationem ducere neceſſum eſt. Rursùm verò formam ſcriptionis eam delegi, quæ Tyronum ingeniis, capacitatique ſerviret, nec eam vel amplitudine ſu-

peraret, vel jejunitate non expleret. Equidem nisi fallor, primæ probationis Alumnis hæc, quæ hìc dicentur, percepisse, atq; explevisse satìs & abunde prorsùs satìs erit, ad hoc, ut cũ Divinæ Majestatis gloria, animarum propriarum fructuosa consolatione, ipsius demum Religionis solida ædificatione prima Tyrocinii sui rudimenta, in ipsis Religiosæ disciplinæ liminibus deposuisse, meritò censeri posse videantur.

CAPUT II.

Quàm multiplex sit probatio in Societate, & quæ illius causa.

IN Societate JESU triplex est probatio, quam necessariò percurrere debent ii, qui juxta Leges Societatis hujus vivere, & in ea Christo Domino nostro servire ad majorem ipsius gloriam cupiunt. Una est probatio 1ma, altera 2da, ultima tertiæ nomine vulgò ab hac Religione vocitari solita. Cùm enim Religionis hujus sublime valdè, arduumq; institutum sit, ùtpote quod non tantùm animæ propriæ salutem perfectionemq;, sed Proximorum quoq; omnium, tam salutem, quàm etiam perfectionem procurandam profiteatur, inde efficitur, ut viris valdè solidis atq; probatis in vita & mo-

moribus, in virtute, atq; doctrina egregiè fundatis opus habeat, cujusmodi cùm & rari sint, & difficilè haberi possint, necesse fuit, ut eos Religio ipsa sibi formaret, atq; inter formandum diu multùm varieq; probaret & exerceret. Eapropter ista Religio & eos, qui admitti petunt ad Religionem, diu multúmq; per homines gnaros benè instituti sui examinat, talenta, aptitudinémq; & indolem omnem, quàm peritissimè explorat, & sic examinatos exploratosq; ubi idoneos, dignosq; Societate de communi plurium consilio consensuq; judicaverit, pluribus postmodum probationibus, jam in medium, convictumq; suum admissos partim instruit, partim dispicit, ecquid tandem spei ad olim suscipiendos in Religione labores de illis habere meritò possit. Itaq; præter accuratum examen, quod admissioni ad Tyrocinium præmittitur, adhibetur deinde Tyrocinium, primò quidem duplex, quod primam & 2dam probationem vocat Societas, deinde etiam tertiũ, quod suo tẽpore [eó nimirũ, quô Religioni visum fuerit] subeundum, expediendumq; superesit. De secundo atq; de tertio Tyrocinio seu probatione, nihil interim hóc loco tractamus, solùm primam, in eorum gratiam, usumq;, qui eam decurrunt, in præsenti prosequimur. A 3 CA-

CAPUT III.

Quid sit prima Probatio, & cur hoc nomen sortita?

IN omni bene constituta Religione est probationi certum præfixum tempus, idque duplici de causa. Altera est ex parte Religionis, quæ aliquem novum de hoc maligno mundo evadere conantem hominem gremiô suo excipit. Altera ex parte hominis ipsius, qui Religionis gremiô excipi cupit. Ex parte Religionis est illa causa, ut per probationis tempus, hominem probare, & cognoscere tantò meliùs, certiùsq; possit, quantò propiùs illum habet, & inspicit, sicq; ineptos à se arcere, aptos per se deligere valeat. Ex parte ipsius hominis, seu Tyronis illa causa est, ut etiam ipse per tempus probationis Religionem, quam ingreditur, ejusq; munera ac onera suis ipse, ùt ajunt, humerîs explorare, expeririq; possit, ut si fortè displiceant, vel majora suis viribûs videantur, maturè & sine nota deseri, sin verò apta humeris suis appareant, tantò majore cum fiducia & solatio suscipi possint. Cùm enim Religionem ab aliquo iniri, non tantùm Religioso ineunti, sed etiam ipsi Religioni utile sit,

& præ-

& prætereà cùm nec omnis Religio cuilibet homini, nec quilibet homo cuilibet Religioni expediat, aptusq; sit, meritò per probationis tempus utriq; prospici debuit, ut nec illa suscipere ineptum per se hominem cogeretur, nec ille incongruam sibi Religionem profiteri necesse haberet. Societas JESU huic tam suæ, quàm hominum ad se venientium, indemnitati, securitati, consolationiq; prospectum volens, præter examen, ùt dixi, quod admissioni & ad probationem præmittitur, (in quo & vires animusq; in admittendo explorantur, & onera, qualitatesq; Religionis eidem, qui admitti petit, proponuntur] primam, secundamq; probationem, sed primam præcipuè peculiari quadam ratione sibi delegit, in qua tam sibi, quàm Tyroni suo spatium dat, commoditatemq; mutuò explorandi cognoscendiqué, mutuò de sui acceptatione deliberandi tantisper, antequàm vel illa Tyronem sæculô devestitum accipiat, vel ille planè mundum, sæcularemq; hominem exutus, in medium religiosæ vitæ, disciplinæq; commercium prodeat. Ea propter ii, qui hanc primam probationem decurrunt, & sæculari suo vestitu utuntur, in domo licèt Religiosa, & à communi aliorum convictu, conversatione, allocutioneq; ac-

 cen-

centur, & ad munia Domûs necdum ad mittuntur, & nihilominùs ordinem Domûs, horasq; & occupationes præſcriptas ſervare, atq; obire, quòd poſſunt, debent, & ſub obedientia Superioris vivunt, neq; eô inconſultô non tantùm extra Domum pedem efferre, ſed neq; intra Domum quòlibet pedem inferre poſſunt, ut eos jam & Tyrones ex parte, & ex parte nondum Tyrones poſſit agnoſcere. Atq; hæc eſt cauſa, ob quam hæc Tyrocinii pars primæ probationis nomen ſortita ſit, quia nimirum ſub illud tempus quaſi rudi minerva, Tyro probat Religionem, & à Religione probatur, nam & ille multa, quæ domi fiunt, penitiora ignorat, & in ipſo pleraq; Religio aut neſcit, aut diſſimulat. Et rurſum ille inter domeſticos ita computatur, ut illi etiam ipsa hora, quâ ad primam probationem venit, ad totum Tyrocinii tempus computerur, & nihilominùs adhuc illum Religio communi ſuo convictu non dignatur.

CAPUT. IV.

Quid complectatur, quidvè requirat prima Probatio.

IIs, quæ proximo capite dicta ſunt, inhæren-

rendo Societas, Tyroni suo primam probationem decurrenti, eas injungit occupationes, quæ & illum de instituto ordinis hujus abunde instruere, & Religionē ipsam de ejus ad institutum animo, viribusq; edocere, & illum ad reliqua potiora Tyrocinii munera obeunda disponere, & Religionem ad fores ipsi patefaciendas animare possint. Hujusmodi sunt hæc, quæ sequuntur: 1. Lectio examinis, quod omnibus ad Societatem aspirantibus ipso statim penè in limine proponitur. 2. Lectio Regularum. 3. Lectio Constitutionum Apostolicarum, quibûs sedes Apostolica Societatem hanc confirmat, Sanctamq; & tutam in suo Instituto esse declarat. 4. Exhibitio speciminis alicujus, de sua, si quā habet doctrina atq; facultate. 5. Animi interna per exercitationes S. Patris nostri, cultura, atq; ad futurā per generalem Confessionem Conscientiæ expurgationem præparatio. 6. Generalis vitæ totius Confessio. 7. Manifestatio conscientiæ propriæ 8. Habitûs sæcularis in religiosum commutatio. 9 Sacra communio. 10. Tandem ad aliorum convictum adductio, & admissio. Hiscè fere occupationibus Societatis Religio Tyrones suos in prima probatione distinet, tum propter illas jam supra recensitas cau-

ſas, tum propter otium in novo vitæ genere fallendum, aliaq; vitia, quæ Tyronibus jā tūc obrepere, & ob quæ Religioni probari minùs poſſent, devitanda. Neq; enim ignorare Tyrones hujusmodi debent, Religionem iſtam ab ipso ſtatim primæ etiam probationis exordio expectare ne dicam exigere ab ipſis, non omnino quidem religioſas virtutes, quas tunc primùm ut doceantur, veniunt; ſed tamen quasnam talium virtutum vel ſimilitudines, vel inchoationes. Quales ſunt: quietos & modeſtos mores præſeferre, ſilentium, & ſubmiſſam vocem colere; revereri & honorare omnes domeſticos, decentiam, munditiem, & verecundiam in inceſſu, veſtitu, aſpectu, geſtu, in omni loco; amorem devotionis, & orationis, crebriorumq; cum Deo congreſſuum, ſolitudinis, recluſionis, & lectionis ſtudium, mentis hilaritatem & vultûs, tractabilitatem & confidentiam cum his, qui de animæ ipſius rebus cum ipſo tractant. Oblivionem ſæculi & mundanarum vanitatum, applicationem ad Spiritualia & Divina ſtudia, has ferè virtutes, aut ſaltim ſpē earum, etiam primæ probationis Tyro promittere Religioni deberet, illa verò vitia fugere illum conveniret, quæ religioſam Domum, ac multò magis Religionem ipſam,

reli-

religiosumq; hominem dedecent, cujusmodi sunt: Curiositas, & libertas quidlibet videndi, audiendi, ingrediendi, dicendi, indagandi, garrulitas, & levitas in sermone atq; moribus, vagatio, inquietudo, tædium, animi tristitia, inverecundia, & incompositio externorum morum, aulicismi & scurrilitates, aliaque ejusmodi, quæ animum sæculo immersum potiùs, quàm emergere cupientem redolent. Hæc ideo recensueram, Tyronibusq; commendaveram, ut ab ipso statim in Tyrocinium ingressu incipipiant condiscere, quo Spiritu Religiosum Institutum amplecti, & qualem in religiosa Domo pedem ponere eos conveniat.

CAPUT. V.

Cur examē generale proponatur legendū in prima Probatione?

EX omnibus, quas Tyro Societatis in 1ma probatione peragit actiones, prima & dixerim præcipua est: lectio & consideratio examinis generalis, quod à S. Patre nostro in hunc præcipuè finē conscriptum est, ut omnibus Societatem hanc olim amplecti volentibus proponeretur eò consiliô, ut ex ejus lectione discere possit Tyro totum Societatis Institutum, finē

ejus

ejus & ſcopum, partes, ac membra, ſtructuram, ſubſtantiam, differentiam ab aliis Ordinibus ſacris, impedimenta, quæ arceant ab hoc inſtituto; experimenta, quibûs probari velit admittendos & idoneos; magnitudinem & majeſtatem, excellentiamq; inſtituti. Hæc qui in examine generali perlecto aſſecutus eſt, næ ille & Religioni & ſibi abundè ſatisfecit, multo etiam abundiùs ille, qui talenta naturæ & gratiæ, & animum, viresq; inſtituto pares attulit. Huic, quam dixi, causæ affinis & annexa eſt alia legendi hujuſce examinis ratio: ut nempe Tyro lecto examine tantò rectiùs & pleniùs ſe ſe reſolvere, majoriq; cum ſua conſolatione Vocationi ad Religionem manus dare, & deinceps diabolo vocationis veritatem labefactare molienti, ſolidiùs reſiſtere, & deniq; Superiori, vel cuicunq; examinatori, majori cum libertate, ſinceritateq; ad interrogata, quæ ab eo circa examinis capita poſcentur, reſpondere poſſit.

CAPUT. VI.

De Regularum & Bullarum Apoſtolicarum lectione.

POſt examen Tyroni in 1ma. probatione dari mos eſt Regulas & conſtitutiones

nes Apostolicas. Regulas quidem, ut Tyro jam statim ab in tio adversat tecum Religionem clarè procedere, fidenter se, suaq; illi concredere, atq; discutienda præbere: sintnè suo palatui, & robori paria, necnè: ut & ille hac Religionis sinceritate motus, atq; doctus se vicissim Religioni sincerè concredat, atque plenè committat Deinde Regulæ ideò exhibentur legendæ: ut Tyro statim possit apud se statuere: an velit, possitq; deinceps ita vitā ducere, prout in regulis præscriptum videt: & ut in decursu Religiosæ vitæ non velit vivere juxta exempla, quæ forte videbit minùs inter aliquos perfecta, sed ut sciat se teneri vivere juxta Regulas. Ideò illi non dantur legendæ vitæ eorum, cum quibus victurus est, sed tantùm Regulæ, juxta quas tam ille, quā omnes alii vivere debeant. Huc accedit, id propterea fieri, ut Tyro discat, quibûsnam legibûs sibi deinceps vivendum est, elegatq; dum liber est sic vivere, vel aliter de sua vita statuere: ne fortè ingressus Religionem non visis Regulîs, postmodum earum vim experimento prius, quàm speculatione, considerationeque edoctus, incipiat retrò respicere, & causari se deceptum esse, non scivisse, quid eligeret; regulas non vidisse, sicq; in vocatione fluctuet magno Religionis qui-

quidem damnô, ſuo autem majore periculô.
Jam verò Bullas Sedis Apoſtolicæ, ideò à Tyronibus legi vult Societas JESU, imò ut ex iis diſcant clariùs, meliusq; inſtitutum, quod ibi compendiò & clarè traditur. 2dò. ùt approbatum à Sancta Sede agnoſcentes, ſecuri illud ineant, atq; perſeverent. 3tiò. ut privilegia Religionis diſcant. 4to. ut cognoſcant per vota ſimplicia in Societate poſt biennium Probationis emitti ſolita, veros Religioſos fieri. 5tò. ut etiam cognoscant ſibi poſt vota emiſſa non licere propria authoritate ſub pæna Apoſtaſiæ à Societate recedere, quæ omnia ſunt ſcitu Tyronibus perneceſſaria.

CAPUT VII.

Cur ſpecimen Doctrinæ, profectûsq; ſui in literis det Tyro Societatis?

DUm Bullas & Regulas legit Tyro Societatis in prima Probatione, antequàm ſe ad cultum animi, & ad ſeriam, ultimamq; cum mundo valedictionem diſponere incipiat, ſolet ſpecimen aliquod doctrinæ, ingenii, aliorumq; talentorum præſertim concionandi præbere.

Id non ab omnibus fit, ſed ab iis ſolùm: qui literis, ſcientiisq; dederunt operam. Atque hoc eo conſiliô præcipuè, ut Religioni hac via innotescat Tyronis profectus in ſcientiis, conſequenterq; aptitudo aut ſaltim ſpes aptitudinis ad miniſteria Societatis, circa animarum ſalutem & profectum. Qualia ſunt concionari ſeu prædicare populis verbum Dei, excipere confeſſiones, dare conſilia in rebus, & dubiis conscientiæ, docere fidem rudes pueros, hæreticos, & quoslibet ignaros. Quæ omnia indigent homine inſtructo præſidiis doctrinæ non levibûs, ut alia prætercam requiſita.

CAPUT VIII.

Cur in prima Probatione exercitiis Spiritualibus vacetur?

EXpeditis ſuprà dictîs occupationibûs Tyro totum ſe convertere debet ad cultum animæ ſuæ, DEO per ingreſsum Religionis conjungendæ, atq; ad exactiorem probationem, quæ eſt 2da, percolendæ; ad eam rem Societas præbet Tyroni medium unum ex ſuis principale, nempe Spiritualium exercitationum usum, ex quibus ſaltem primam hebdomadam percurrit mul-

multis de causis atq; in his prima est, quã attigi, ut nempe illîs excultus & perpurgatus tantò digniùs Divinæ conjungi possit puritati. 2da: ut ad confessionem generalem, quam eodem tempore apparare debet, & peragere, tantò diligentius, digniusq; se præparet, quantò perspicaciùs statum animæ suæ per peccata sæcularia sauciatæ cognoscet, detestabitur, deflebit. 3. ut quoniam deinceps meditatione usurus est per totam vitam sequentem, tunc jam saltem aliquam rudem praxim meditandi contrahat, formamq; discat. 4. ut in exercitiis miserum animæ suæ statum præteritum edoctus, atq; quantis circumdatus fuerit in æternum pereundi in mundo periculîs; tantò alacriùs ad vexilla crucis & ad jugum Religionis convolet, constantiorq; in eo tolerando perseveret. 5. ut in exercitiis, veritates illas, quæ inibi latent, easdem iterum imbibat, quas in Examine Generali & in Regulis legerat, atq; ita ad Institutum Societatis ex animo complectendum roboretur: conformitatem dictaminum in evangelica, & antiqua, & naturali, & Religiosa lege atq; perfectionem agnoscens.

CAPUT 9num.

Cur generalis totiꝰ vitæ Confessio in 1ma Probatione fiat.

INstante probationis primæ fine confessionem generalem facit Tyro: mitto alias hìc causas ejus rei, petitas ex utilitate hujusmodi Confessionis, quæ etiam locum hìc habent: illam attingo primùm, quia cùm Religio status sit pœnitentiæ, quem ideò homines idcircò plerumq; ineunt, ut in illo injurias tota sæculari vita toties divinæ Bonitati & Dignitati illatas, cùm quoad possunt restituant, & antè malè acta retractent, seseq; Deo cui subduxerant integrè æternaliterq; restituant; convenit, ut totius vitæ suæ crimina in unum coacta ob oculosq; suos exposita, simul amaro animo & corde contrito defleant, detestentur, doleant firmiterq; ac tutiùs in Dei famulatu permaneant. Deinde hic illud addo: quoniam Religionis ingressus Baptismus quidam est: in quo omnia delentur anteacta crimina, decet sanè, ut qui omnium veniam est consecuturus, omnia etiam detestetur, atq; defleat, confiteaturq; Ad hæc cùm Societas desideret homines tales suos esse, quos non dedeceat esse socios & de Societate JESU,

vult ſibi conſtare de eorum perfecta cùm Deo reconcialitione atq; amicitia, quæ quidem conſtare melius illi non poteſt ordinariè, quàm ſi videat quemlibet ſuorum generali confeſſione univerſas inimicitias ſuas cum DEO deleviſſe. Insuper, cùm ingrediendo Religionem novæ & quaſi alterius diversæ à prima genus vitæ exordiatur is, qui illam ingreditur, ſanè convenit, ut antiquam vitam penitùs in ſe quo ad poteſt, extingvat & omnia illius reſidua in se deleat, ita ut nihil in eo antiqui hominis, & antiquæ ſuæ conversationis remaneat; quod nullatenùs meliùs, fundamentaliusq; perficitur, quàm generali Confeſſione. Eam ob causam decet Tyrones talem confeſſionem meditantes atq; apparantes non perfunctoriè rem, non dimidiatas confeſſiones, & ab ultima tantùm repetitas (niſi fortè ſuperiori faciendum videatur, vel ei, cujus intererit hoc ſcire) ſed omninò totius vitæ facere. Decet etiam diu accuratè diligenter conſcientiam examinare, excutere, & nullis ſcrupulis occaſionem locumq; relinquere; ſincerè cum ſe ipso, cum Deo, cum confeſſario agere, ſatisfacere ſibi velle abundè, ut quàm optima mente atq; fiducia ſit poſt confeſſionem, quòd nihil omiſerit, omittereve voluerit, quid quid ad plenam con-

confessionem facere potuit. Decet etiam, accuratissimo & acutissimo dolore compungi, detestari, & proponere emendationem, ex puro solius Dei amore, & ejus Dignitatis æstimatione atq; appretiatione ita, ut homo, à Cōfesione surgat alius homo, tunc renatus Deo, & jam perditus mundo, & illi sibi, qui in mundo fuerat, plenus fiduciæ de venia, plenus propositi firmi de nova vita ad mortem continuanda, plenus odii in peccata, & in se qui peccavit, plenus desiderii vindicandi in se injurias dignissimi DEI. Hæc inquam omnia Tyronem habere decet; & reverà facile est in illo primigeniæ gratiæ fervore quæ, est gratia vocationis, cujus robur & pondus quantum sit ad animæ immutationem dici fere non potest, modò absit desidia & incuria, adsit autem in promptu cooperatio debita. Certè enim imane opus fuit robur gratiæ istius, quæ hominem radicatum & illigatum catenis innumeris plusquam adamantinis in mundo eripuit ex mundo & constituit in Religione, ergo si huic gratiæ cooperari pergat Tyro, nulla illum difficultas morari poterit, quin eam telæ aranearum instar, rumpere possit.

CAPUT 10.

Cur Conſcientiæ ratio fiat in ima Probatione.

HÆc actio in confeſſione generali, vel ſeparatim ab illa fit in Tyrocinio; cujus rei hæc unica causa nunc ſufficiat; ut nempe Tyro in vita Spirituali deinceps dirigi, & formari à pueritia & teneritudine Spiri ûs ad perfectum usq; virum poſſit, quod non poterit, niſi fuerit notus animæ ſuæ Patri; notus non erit, niſi ſe ipſe illi aperuerit, ſuasq; neceſſitates, pericula, tentationes, consvetudines eidem explicuerit, præter peccata in confeſſione expoſita. Unde fit, ut nemo ignotus ſuo Spirituali Patri, præſertim Tyro proficere in via DEI poſſit, quia qui se ſibi Magiſtrum conſtituit, ſtulto se diſcipulum ſubdit, magiſter verò ſtultus, non faciet diſcipulum proficere in Sapientia ſibi ipſi ignota. Sed hæc ſint hac de re ſatis.

CAPUT 11.

Cur lectione Spirituali diſtinentur in prima Probatione Tyrones?

TOtum reliqvum tempus, quod à prædictis ſupereſt Occupationibus, Tyrones lectioni Spirituali impendere, debent,

eorum

eorum præsertim librorum, qui illis amorem Instituti & Religionis, odium verò sæculi in animo conciliare possunt, quæ quidem est una hujus lectionis sub hoc tempus causa. Altera verò est: ut lectione Spirituali primitias Spiritûs sui teneras, lentè svaviterq; corroborent. Ad hæc, ut memoriam sæcularibus et ineptis vanitatibus plenam atq; obductam, lectione Spirituali perpurgare, atq; veluti melioribus coloribus turpiores abolere, consvescant. Accedit quod cum illi Tyrones sunt, & Spiritualium rerum, divinæq; voluntatis planè rudes, DEUS autem in Lectione loqui nobiscum soleat; oportet Tyrones lectioni isti insvescere, addictosq; esse: ut ex ea tanquam ex fonte voluntatis Divinæ, notitiam ad se se derivare condiscant. Deniq; Religiosis & piis hominibus est etiam hæc ratio fallendi sancti temporis, si pios libellos evolvant, tædiumq; allevent; quo Tyrones laborare opus est sine dubio, si se occupare, prout par est, noluerint.

CAPUT XII.

Quibûs affectibûs abundare, & quomodô præparari oporteat Tyronem instante tempore perfecti & ultimi sui à sæculo ad religiosum statum, habitum, convictumq; discessûs ?

 Pen-

PErfectis omnibus supradictis, & tempore adveniente, quo ex prima probatione ad secundam commigrandum est Tyroni, ad aliorumq; convictum, deposito tandem sæculari vestitu & Religioso assumpto descendendum est, afferuntur Tyroni Religiosæ vestes, quas indutus ad communionem sanctissimam accedit, ac deinceps ad convictum communem educitur. Hæc dum fiunt, non abs re est: Tyronibus ostendere aliquas spirituales exercitationes, quibus interea temporis magno cum animæ suæ fructu, solatioq; occupari possint. Quamvis enim plerosq; Spiritûs Sancti unctio & gratia in tali passu multa & ádmirabilia edoceat, plerisq; tamen id non contingit ob eorum hebetudinem, vel etiam indispositionem, quare talibus materiam saltem piissimarum affectionum tali tempore servientium suppeditare, operæ pretium erit. Et quidem affectuum istorum leges ex duplici capite poterunt desumi. Unum caput sunt circumstantiæ, & conditiones actûs instantis, qui est migrare de statu in statum, de mundo in Religionem, de servitute diaboli, in Societatem JESU.

Hujus actûs circumstantiæ plurimæ sunt; *v. g.* 1. Peccata præterita & vitia atq; consvetudines malæ, quas execrari par est, proponere,

ponere, vitare, deflere. 2. Mundus & vita mundana. 3. Caro, est sensus, & voluptas. 4. Personæ omnes, quæ jam deseruntur. 5. Studia, occupationes, officia, curæ. 6. DEUS, Christus, Religio, Sancti Religionis, Beatissima Virgo. 7. Status & ratio vivendi futura, ejusq; rationes & conditiones. Ex his similibusq; infiniti pœne affectus erui poterunt modô infrà dicendô. Alterum caput affectuum esse potest: multiplicitas considerationum, quæ fieri possunt ad præsens negotium accomodatæ, de quibus etiam infra dicetur. Nunc addo tantùm: sub illud tempus, quantumq; fuerit, nulli alteri negotio vacandum esse, nisi talibus affectibus, desideriisq; quæ etiam quàm ignitissima esse oportebit. Maneat tunc Tyro solus inclusus, in solum Deum conversus, de se solo, deq; futura in se ipso à se ipso mutatione cogitabundus, vix enim fieri poterit, ut in tali passu: (modo aliquid sensûs habeat) non abundet copiâ & promptitudine dulcissimorum affectuum: quodsi non abundet spontè, ábundabit certè non difficulter, si sequentes affectus, corde, magis, quàm ore deprompserit.

CAPUT. 13.

Catalogus & praxis affectuum, aspirationumq; quas Tyrones ex prima probatione egressuri possunt exercere.

1mus *Affectus sit execratio peccatorum.*

O Peccata! infelices culpæ! o scelera immania & innumera! satis, superq; *satis ah! diu placuistis! satis inter me & DEUM meum divisistis, execror vos, abominor vos, perite vos, nè peream ego.

O mi DEUS! cur tamdiu peccavi? cur tamdiu, tamdiu peccator fui? Testis mihi DEUS meus, qui & auctor es odii mei in omnia peccata mea præterita, quibus iram tuam merui & nihilominus gratiam tuam experior indignus & ingratus.

2dus *Propositum non peccandi ampliùs.*

NOlo ampliùs, nolo mi DEUS ampliùs peccare in Te, offendere Te, irritare Te; Nolo redire velut Canis ad vomitum, velut sus lota ad lutum. Juravi & statui custodire judicia Justitiæ tuæ.

3tius *Valedicendi.*

PEccatis Valete peccata, valete vitia, valete consvetudines meæ omnes, omnes pessimæ, omnes tyranni mei dulces, sed amaræ DEO, & ingratæ, nunquam redeam, nunquam redibo ad vos.

*Mundo:

Mundo: Munde non munde immunde, vane, fallax, miser, vale. Satis placuisti, satis decepisti. Mundus ego à te, per quem fui toties & tam diu immundus. O! stulta sapientia mundi nimis multùm credidi & servivi tibi, ridendus ego tecum & propter te. Nihil mecum commune tibi, sapit sapientia æterna, viva, pacifica, pretiosa, svavis.

Carni: Vale Caro, valete carnis immites servitutes. Nimis carò servivi tibi caro infelix. Corrupi animam propter te, pro te, nec tamen servavi te. Hactenus amici fuimus amicitiâ inimicâ, volo deinceps amicas inimicitias tecum exercere.

Sensibus: Quid mihi & vobis prodromi mortis, portus inferni, januæ diaboli, officinæ peccatorum, sensus mei, prædones & proditores, nihil svave amicum sperate à me, hostis sum, & esse volo omnibus vobis æternùm.

Amori proprio: O amor amoris! o amor mei ipsius, amor honoris & reputationis! satis servitum, satis indultum tibi. Ex nunc Creatori meo serviam, nihil mihi & tibi, nisi nihil & malum & pœna & confusio & contemptus, elegi abjectus esse &c. Vale judicium, vale libertas, vale voluntas propria, propria ex nunc non eritis, quia omnia cũ

Deo & propter Deum, cum omnibus eritis, servivi vobis ego immeritò, servite deinceps Deo ex debito.

Valete domestici, inimici mei, crudeles amatores, blandi hostes, Sangvinei blanditores, propinqui osores: qui non sapitis, quæ DEI sunt, & me sapere noluistis. Nescio vos imò & odi benè, quia amavi malè. Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Dixi putredini: pater meus es, mater mea & soror mea, vermibus

4tus. *Gratias agendi DEO pro dono Vocationis efficacis.*

BEnedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, quia eruit me de portis mortis, quia posuit animam meam ad vitam. Benedic anima meo Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus, Qui redimit de interitu vitam meam. O mi DEUS! quas tibi grates referam, vocâsti me de mundo, de servitute Ægypti, & fecisti me servum tibi.

Gratias ago gratiæ tuæ, magnæ & sanctæ; Benedictus es mi DEUS, qui intuitus es animam meam in profundo abyssi, ut non periret, quia dirupisti vincula mea, quia eruisti animam meam de inferno.

5tus.

5tus *Offerendi se DEO.*

QUid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. ô verè salutaris cálix, grátia vocationis, quã dedisti mihi DEUS meus, quid dabo tibi aliud, nisi me ipsum; en me tibi offero, en dedico, en dono, accipe me mi DEUS, & tibi habe, nec permittas me separari à te; tuus sum ego, non derelinquas me, nec projicias me à facie tua. DEUS meus, quantus, quantus sum, totus tuus sum.

6tus *Desiderii & tædii Serviendi DEO.*

TÆdet animam meam vitæ meæ DEUS meus, quia non servit & quousqꝫ mi DEUS facis me amicum tibi mancipium, nec aufers me mihi! en ego, en me mi DEUS, tolle, aufer, accipe, utere, abutere pro beneplacito tuo. Serviam tibi DEUS meus, serviam tibi, at quando? ex hac hora; quamdiu? in æternum mi DEUS & ultra.

Quousq; differs desiderium meum, quod perit in me, sancta voluntas tua, ut serviam Tibi. Ecce volo, ecce cupio, ecce desidero DEUS meus annumera me servis tuis, adjunge me Sanctis tuis Dominis meis. Quare ego tamdiu liber à te, & ecce isti serviunt tibi, currentes viam voluntatum tuarùm, indignus ego servire tibi, at tu dignus, cui serviam ego. 7mus.

7mus *Poſtulationis gratiæ ad ferven-dum & perſeverandum in Statu.*

O! ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingveris! o! amor qui ſemper ferves, nec unquam tepeſcis, accende me, accendar à te, devorer à te, & fiam ſacrificium, fiam holocauſtum tibi æternum. Non reprobes me à pueris tuis, ſed ſemper inveniam gratiam in oculis tuis, ut ſtem jugiter coram te ſemper in ſanctitate & juſtitia, omnibus diebus vitæ ſuæ.

O DEUS! peream, ſi aliquando deſerturus ſum, oblivioni detur dexrera mea, & omnis vita atq; ſubſtantia mea, priusquam recedere abs te inclinetur anima mea.

Amor æterne amem te in æternum, qui amas me ab æterno, & in æternum.

Hic ſtatus in quo poſuiſti me DEUS meus, ſtatus meus ſit, manſio mea, requies mea ſit. Hæc requies mea in æternum, quoniam elegi eam.

8vus *Salutationis ſtatûs, Sanctorum, ordinis, Veſtium, Domeſticorum, officiorum, Occupationum.*

O Salve tandem deſiderabilis vita, ſalve ſtatus ſacratiſſime, aula ſalutis meæ, principium beatitudinis, pignus gratiæ, vena Bonorum DEI.

Salvete omnes Sancti Societatis Sanctæ

facite

facite me ſimilem vobis, & annumerate me inter vos, ut vobiſcum unà merear ſervire DEO meo & veſtro JESU Chriſto, cui gloria perennis. Amen.

Salve ſanctiſſime Societatis hujus Patriarcha Ignati, ſalvete omnes Sancti Socii, accipe me indigniſſimum inter vos, & Sancta veſtra benedictione manere inter vos facite, atq; ab inſidiis malignis protegite, & gratiam ſanctè hic perſeverandi impetrate.

9nus *Refugii ad B. V. M. in hoc Statu.*

O! Virgo Mater Divina, Regina, Hæres mea tibi me, totumq hunc ſtatum meum dedico, & conſecro, te hujus vitæ meæ Patronam Protectricemq; eligo. Ecce hic omnia plena ſunt ſervis tuis, tu ergò fac me etiam quaſi unum ex illis. Mater Religioſorum fac me Religioſis accenſeri, & gere curam hujus ſtatûs mei, quæ geſſiſti ſemper curam animæ meæ. Currat per te in gloriam DEI omnis curſus vitæ meæ. Orna omnia mea meritis tuis, juva ſubſidiis tuis, confirma dexterâ tuâ, emenda Sanctitate tua.

His atq; ſimilibûs affectibus indulgere poterit omnis ille, quicunq; ultimum ſæculo valedicens, manus dare apparat Religioni.

CA-

CAPUT XIV.

Variæ Considerationes.

HOc ipsum, de quo loquimur ultimò de sæculo emigrandi, mundumque exuendi negotium, considerationibus non paucis illustrius & ab affectibus Sanctis prægnantius effici potest, sit interim.

Consideratio *1ma.* Cogita te esse unum ex filiis prodigis, quos jam ad se reversos Pater corruens super collum osculatur, eisque stolam primam, annulum, calceamenta afferri, insuper & vitulum saginatum mactari, præpararíq; convivium jubet, quantumlibet invideat fratres natu majores, & foris in sæculo remanentes indignetur. Verè enim si modò attendis, id ipsum tibi fit, non tantùm spiritualiter, sed etiam ad ipsam literam. O quomodò non amplexaberis tam bonum Patrem? quomodo ab illo iterùm recedere, substantiam dissipare, luxuriosè vivendo sustinebis? o mi DEUS! satis erat me esse sicut unum de mercenariis tuis, Tu autem nihilominùs de filiis unum esse omnino jubes? quid faciam huic Bonitati tuæ?

2da. Considera te ex alto lapsum præcipitem in frusta discerptum casu, vel jam vorticibus aquæ marinæ haustum, vel inter

ter mediàs sylvas à latronibus deprehensum, sauciumq; ac tantùm non enecátum subitò tantis periculis subtractum, redditum incolumitati in tuto iterum positum, per omnia ditatum, ecce hoc ita tibi factum esse re ipsa advertes, si voles. O qua gratitudine servies Servatori tuo in hac Domo securitatis, portu quietis, pascua loco declinarum sede, Societate JESU?

3tia. Considera ex una parte diabolum cum suo mundo, carne, vanitate, voluptate, honore, opibus; ex altera parte Christum aversum ab illis, ad te conversum in Cruce satiatum dolore, despectu per omnia summo, invitantem te ad se, & suum convictū, ad suamq; Societatem amplectendam spretis illis. quæcunq; sunt adjuncta diabolo, amica mundo, grata Carni, & nunquid non eliges improperium Christi magis quàm omnes Ægypti opes? nonne volabis ad vexilla Christi, & amplexus arctissimè Crucem ejus, dices.

„Iste est DEUS meus, & exaltabo eum, & serviam ei, amplector, & osculor, & stringo Crucem ejus, desero omnes honores & existimationes. Desero omnes voluptates carnis, & sensuum delectationes, desero libertatem, & propensionem omnem. Eligo austeram, & afflictam, contemptam, & ;de-

spe-

ſpectam, ſervilem & mancipalem jumentalemq́; vitam ſuper omnia mundi bona, & commoda, quæ omnia Tibi DEUS meus, JESU Chriſte confixe offero, reſigno, immolo cum omni ſpe, re, & poſſibilitate, & capacitate; & offero tibi illo affectu, vel ſaltem in unitate illius affectûs, quo tu mi JESU eadem omnia in honorem Patris ſprevisti, quo eadem omnia ſprevit Sanctiſſima Mater tua, quo ſpreverunt eadem omnia omnes Sancti tui tam Angeli quàm homines; quos omnes actus, in actum cordis mei, quatenus poſſum colligens, me tibi in hoc ſtatu, quem ſponte eligo & accepto, tota latitudine capacitatis meæ,:cum omnibus hisce actibus immolo & conſecro, & in holocauſtum æternum abſumo, ad quàm puriſſimam maximámque gloriam tuam.

4tà. Conſidera te eſſe aut fieri mancipium vel jumentum DEI, & propter DEUM, omnis creaturæ, quod meritò dicere poſſis Deo illud: ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: verè ſervus & verè jumentum Chriſti fit, quiſquis Religioſus fit. Nihil ſibi laborat, nihil acquirit, nihil facit, nihil accipit jumentum: non ſecum velle habet, non ſuum poſſe; quantumcunq́; eſt, alienum, & alieni arbitrii eſt. Talis eſſe debes ex hac hora, quâ Religio-

ſus

sus esse incipis. Non tu, non anima, non intellectus, non voluntas, non judicium, non libertas, non honor, non scientia, non pax, non experientia, non fama, non oculus, non auris, non lingva, tua sunt. Sed aliena omnia, DEI omnia, omnium propter DEUM, omnia omnibus tuis, & toto te omnia possint non tantùm uti sed etiam abuti te; & nunquid non sapit tibi, quod talem te DEO, & propter DEUM fieri, sapiat gustui Divino, & sit gustabile futurũ in æternum ab æterno.

5ta. Considera te ovem erroneam, certam luporum prædam; invenit te Pastor, descendens de montibus, assumpsit in humeros, intulit ecce in caulas suas, non sequeris libens Pastorem istum? o ovis! quantum & quoties errâsti. & quanto labore, sudore dolore, sangvine quæsita es?

6ta. Considera te esse arbusculam de sylvis, atq; dumetis sæcularis vitæ, in hortum Domini, paradisumq; voluptatis spiritualis transportatam, transplãtatamq; esse. Jam ergo non debes esse sylvestris, jam non sterilis, jam non crudos & acerbos ferre fructus, nullis hominum, sed tantùm porcorum immundorum usibus servituros, alioqui securim & clibanum expectare debebis, excidium, incendiumq; subitura.

7ma. Considera te tanquam Petrum Jacobum, Joannemvè cum Christo montem Thabor sanctæ Religionis conscendere. Transfiguratur coram te, imo in te Christus; vestimenta tua fiant alba sicut nix puritate conscientiæ, resplendeat facies rectæ intentionis, per studium uni DEO placendi, loquatur tibi Moyses legem, quam serves. Elias ignem, quo ferveas, ad excessum usq; naturæ, ad complementum autem ejus, ad quam vocatus es gratiæ. Dic cum Petro: Bonum est nos hic esse, fac tria tabernacula Christo, Moysi & Eliæ.

8va. Considera te veluti Adamum à DEO ex terra communi in Paradiso voluptatis positum, ut opereris illam. Habes præceptū non tangendi de ligno scientiæ boni & mali, hoc est de non vivendo juxta tuum arbitrium & sensum, sed juxta voluntatem Dei, & vicariorum ejus. Vide igitur: ut neq; serpenti, neq; Ævæ tuæ consentias, in prævaricatione voluntatis DEI, nam morte morieris.

9na. Considera te in hoc ingressu Religionis, tum per mutationem statûs, tum per abrenuntiationem sæculi, tum per universalitatem pænitentiæ, tum per plenitudinem indulgentiæ, veluti nunc primùm baptizatum, atq; vestimento candido primæ-

væ gratiæ indutum, custodi ergo vestimentum hoc nuptiale, & defer usq; ad nuptias Agni, non maculans, non lacerans, non exuens illud &c.

CAPUT XV.

Proditurus ex prima Probatione ad secundam, quid sperare, & quid sibi promittere debeat?

ETsi ex prædictis omnibus satis colligere posset, quicunq; ad secundam probationem prodire gestit, ea omnia quæ in secunda probatione ipsi eventura sint, quæcunq; ille in ea sperare debeat; ut tamen hac etiam in re, nihil desiderare possint, utq; eorum tener & imbecillis Spiritus juvari atq; manuduci possit, aliqua breviter attingere proderit. Sic enim fiet, ut etiam eo, quo par est imbuti Spiritu, ad secundam Probationem veniant, illamq; aggrediantur.

Itaq; 1. Hoc primum sibi promittant oportet, quod necessario instruendi sint, ac formandi in multis rebus in secunda probatione ad quam prodibunt. Formandos autem se sciant non tantùm in iis rebus, quas nesciant, sed etiam in iis, quas sibi scire videntur, & in iis moribus suis, in quibus se vitiosos esse nunc non advertunt, neq; credunt. Quod idcirco illos scire, sibiq; pro-

mittere expedit, ut in hoc ipso initio animent ſe, & ad hanc informationem reſolvant, nè illis poſtmodum moleſta evadat. Revera enim ita expedit fieri, cùm ſine dubio alii ſint mores agendiq́; modi, qui decent ſæcularem, & alii qui Religioſum ſtatum, cujuſmodi mores nec deponũntur cũ ſæculari, nec induuntur cum Religioso veſtitu, ſed paulatim, & mores, & quibus in ſæculo inſvevimus, dediſcendi, & Religioſi quibus non adſvevimus, uſu diſcendi erunt.

2. Ad quod Caput juvabit hoc quod ſequitur ſecundum; nempe ut iidem Tyrones ſibi promittant, non rarò ſe daturos occaſionem atq; cauſam admonitionibus, quia enim in initiis non ſtatim diſcere poterunt modos agendi Religioſos, fiet ut ſæpè uſurpent ſæculares, in quibus eos monitionibus corrigi oportebit; proinde ad audiendas monitiones jam nunc ut ſe reſolvant, oportet. Neq́; verò ſe reſolvant ad eas excipiendas & audiendas, ſed etiam ipsi ultro eas deſiderare, & audire libenter proponant ſecum, in animo, ut iis qui illorum curam peculiarem in hiſce initiis habituri ſunt, dẽt fiduciam liberè ipsos commonendi & informandi.

3. Ad quod adhuc ulterius oportet ut

ſciant

sciant defectus suos, quos ipsi quandoq; cōmittent à superioribus cognoscendos quandoq; ab iisdem monendos, quod non tantùm molestè ferre non debent, sed potius ut ita iis eveniat, desiderabunt; hoc enim ad ipsorum celerem in omni virtute progressum est summè utile atq; necessarium. Nulla námq; est via facilior ad emendationem morum nostrorum, quàm si à Superioribus omnia nostra dicta, facta, cogitataq; cognoscantur, & disjudicentur, atq; ordinentur vel emendentur, quod ut fieri possit, narrari ea necesse est Superioribus nostris tam à nobis ipsis, quàm etiam ab aliis, qui ea cognoverint, & emendatione digna esse judicaverint. Itaq; prodeuntem ex prima Probatione ad secundam, cum ea resolutione prodire oportet, ut statuat secum curare semper ut Superiori ac Patri suo Spirituali omnia dicta, facta, cogitata, semper & per se ipsum, & per alios innotescant, sive illa bona sint, sive mala. Hac enim resolutione si quis caruerit, hoc est si occultus esse voluerit, & defectus suos ignorári cupiverit, obnoxius erit multis tristitiis, tentationibus, murmurationibus, suspitionibusq; ægerrimè vel certè nunquam emendabitur, sed scatebit defectibus aliisq; miseriis succumbet.

4to. Ad quod proderit cognitum habere hoc dictamen quod sequitur: nempe se hominem esse, errare posse, neq; absurdum esse ullum, quod ipse erraverit, vel peccaverit aliquando, & cùm culpæ debeatur pæna, errori correctio, atq; etiam confusio, nihil sibi injuriosum & grave eventurum, si peccaverit & peccâsse cognitus fuerit, itemquè si pro delicto punitus & in errato monitus, correctus, confusúsq; fuerit. Homo enim sum, homini á me nihil alienum puto, nec debeo esse talis, qui peccare velim, puniri vel emendari non velim.

5. Et omnes Personas, & omnes regulas, consvetudines Religionis, magni æstimet, observet, honoret, revereatur, judicans & agnoscens se indignum consortio omnium, neq; deponat unquam habere affectum reverentiæ erga omnes.

6. Recordetur semper se optâsse & quæsivisse, postulâsseq; Religionem disciplinatam, & in qua, disciplina, observantia, Spiritûsq; fervor, ac rigor vigeret. Quare si talem experiri cæperit, non moleste ferat, neq; animo concidat, nec tristis ac pusillanimis sit, potiùs gaudeat se compotem factum voti; invenisse quod quæsivit, habere quod optavit, quodq; objectione totius mundi sibi emendum & comparandum minimè dubitavit.

7.

7. Compendium totius vitæ Religiosæ, hoc esse sciat, idq́ sibi medullitùs persvadeat: Bona agere semper, mala autem pati etiam pro bonis factis. Item: ea omnia exequi, quæcunq; ab aliquo etiam minimo Superiore injunguntur, perpeti autem omnia ac sustinere modestè, quæcunq; evenerint, molesta. Item: ex vita Religiosa nullum solatium expectare aut sperare præter crucem Christi, pacem animi, & consecutionem cœlestis Regni.

Ad hoc propositum faciunt ea, quæ sunt apud Cassianum l. 4. de Instit: Renunt: à cap: 32. usq; ad libri finem, ubi referuntur monita S. P. Abbatis, ad quendam Tyronem quem Monasterio recipiebat.

CAPUT XVI.

Quod Beneficium referat Tyro in ipso Religionis ingressu?

FUsè hoc Argumentum tractat P. Hieronymus, Platus l. 1. de bono statûs Religiosi c. 13. summa rei est: Tyronem in ipso Religionis ingressu, inq; habitûs Sacri assumptione, præmissis iis, quæ hominem gratiæ sanctificanti idoneum faciunt, plenariam omnium peccatorum indulgentiam tam quo ad culpam, quàm etiam pænæ reatum à Divina Misericordia consequi,

efficiq; in oculis Divinis ita mundum, ita gratum, ita ornatum, ac si nùnc primùm baptizatus esset. Quinimò, si loquamur de Baptismi in infantia suscepti ab aliquo, percepta gratia, ea potest ac solet longè minor esse, quàm illa est, quæ confertur ordinariè ingredientibus Religionem, hi enim dispositione propriâ, tantùm acquirunt sanctificantis gratiæ, quantùm volunt, hoc est quantùm voluntaria dispositione acquirere merentur; Ordinariè verò in tali passu excellenter disponuntur, propter primigeniam vocationis gratiam, cui fervor esse magnus adjunctus solet; quo fit ut tali in occasione valde dispositæ animæ inveniantur ad gratiam, consequenter ergo insignem recipiunt, qualem recipere ùt plurimùm Infantes ob incapacitatem propriæ dispositionis non possunt. Quare penè certum est, ut plurimùm majorem, abundantioremq; gratiam infundi ingredientibus Religionem, quàm suscipientibus in Infàntia baptismum, Quod confirmari, illustrariq; potest ex eo, quia in ingressu Religionis ingrediens exercet, exhibetq; Deo eos fermè omnes (: plurimos certe :) actus, quibus Sacra Scriptura attribuit vel remissionem peccatorum, vel gratiæ Divinæ insigne incrementum *v.g.* de Eleemosyna dicitur

citur, quod ſicut aqua ignem, ità extingvat peccatum. De pænitentia aſſeritur idem; de Charitate, ac dilectione Dei, de offensarum condonatione, de Sacrificio in honorem Dei oblato, deq; aliis ſimilibus. Atq; hi omnes actus & quidem excellentiori modo, cumq; inſigni additamento reperiantur in ingreſſu & ingrediente Religionem, ut patet diſcurrenti per ſingula enumerata. Ingrediens enim Religionem, non partem tantùm dat propter Deum, ſed deſerit omnia, etiam ſeipsum propter Deum & Deo. Init etiam pænitentiæ ſtatum, & quidem pro tota vita ſua eam exerciturus ferè omni momento. Conſecrat vitam ſuam omnem, actusq; vitæ ſuæ omnes charitati & gloriæ & voluntati beneplacitoq; Dei. Cum toto mundo redit in gratiam, qui eum vivendi ſtatum ſuſcipit, in quo injuriam reputabit ut gratiam, contemptum ut honorem accipiet, imo injuriam & injuriantem præferet in amore honori & honoranti ſe, vincet in bono malum, & lucrum reputabit omne damnum. Chriſti Crucem etiam amplectitur, atq; conſcendit, eiq; ſe affigit clavis trium votorum, ac in ea ſe ſacrificium & holocauſtum Deo facit. Fit inſuper voluntatis Dei omnis Mancipium, non ejus ſolū quæ à Deo ipſi proponitur, ſed etiam ejus

quæ illi per quemcunq; locum tenentem intimatur. Exuit se omni jure ad se, & ad sua quælibet bona; deniq; moritur morte civili, moritur quotidiè, martyrioq; lento conficitur. Hæc similiaq; plura, quibus primus ingressus Religionis redundat, inferunt remissionem peccatorum, & simul insignem gratiæ sanctificantis infusionem. Ut optima ratione affirmat D. Thomas 2. 2 q. ultima, art: 3 ad 3. In Religionis ingressu non gratis remitti peccata (: ut fit in baptismo, quin etiam in pænitentia:) sed ita, ut verissima & maxima pro iis offeratur satisfactio. Cùm enim voluntas hominis sit homini ipsi omnibus mundi bonis major & pretiosior, eamq; solam Deus in homine æstimat, ab illoq; requirit, hæc verò ab ingrediente Religionem, in ingressu Deo donetur, & in ejus servitium redigatur atq; permodum holocausti sacrificetur, necesse est ut fateamur maximam Deo reddi satisfactionem pro peccatis ab ingrediente Religionem per ipsum ingressum. Maximum quoq; pignus afferri Deo, & quo ab homine majus neq; exigi, neq; dari possit. Igitur efficitur ut maxima, eaq; non purè gratuita, sed quasi ex Justitia debita (: non exclusis Ghristi meritis, gratiæq; auxiliis:) peccatorum tam quo ad culpæ, quàm etiam pænæ reatûs

indul-

indulgentia, ſanctificantisq; gratiæ abundantia ingredienti tribuatur. Quæ res ſicut merito maximam conſolationem inferre debet, animis ingredientium Religionem, ita quoq; maximam ingenerare ſolicitudinem pro ejus gratiæ, veniæq; tam copioſæ conſervatione, ut ſcilicet dent operam, ne unquam in ſequenti religioſa vitâ, crimen gratiæ ſuæ hoc eſt religioſæ Innocentiæ inferant, eam amittendo per mortalem noxã ſed potius eam adaugendo per quotidianam pænitentiam, & per charitatis Martyrium perq; aſſiduum conatum.

Et hæc tum de hoc argumento, tum de prima Societatis Probatione pertractata eſſe ſufficiat.

Ad Májorem
D E I
Gloriam.

COM-

COMPENDIUM
Tractatûs ejuſdem de Prima Probatione.
Ex XVI. Capitibus.
ad XVI. Quæſita.
REDUCTUM.
De Prima Probatione.

QUæritur: 1mò. *Ad quid hæc Instructio, & Tractatus?*

℟. Ad illuminandos eos, qui ad Tyrocinium admittuntur ut ſcilicet illuminati videant quid in *1ma* probatione, & quomodò acturi ſunt ad mentem Societatis.

Q. 2dò. *Quotuplex in Societate Probatio, & quare non una?*

℟. Triplex: *1ma, 2da, & 3tia* probatio, ideò, quia Inſtitutum Societatis, cùm ſit ſublime, & arduum videatur ex ſollicita cura non tantùm propriæ Salutis & Perfectionis, ſed etiam Proximorum, hinc non niſi benè & diu probatis Virîs indiget.

Q. 3tiò. *Quid prima Probatio? & quæ cauſa illius?*

℟. *1ma.* Probatio ſic dicta, quia primò & quaſi rudi Minervâ Tyro probat Religio-

ne

nem, & à Religione probatur, nam & ille multa quæ Domi penitiora fiunt, ignorat, & in ipso pleraq; Religio aut nescit, aut dissimulat, sed nùnć primùm explorat & si jam ita illum admittat, ut etiam horam adventûs ejus computet per ordinem ad vota facienda. Causa verò hæc: tum quia Religio, quos admittit, probat, tum quia & Religio explorare debet quem & qualem, an scilicet non impeditum, an aptum, an non ita talentatum, quemadmodum officia Societatis exigunt, intromittat? & vicissim Tyro explorare debet in primo intuitu ac planè videre, ac intimè scrutari Religionem, an in illa non sint majora humerîs & graviora viribûs suis onera, & munera? an sint quæ arrideant & placeant pro tota vita? an verò quæ displiceant? ut vel illa arripiat, vel maturè sine mora in vestibus adhuc sæculáribus evitet, & deserat. Et ideò Societas Tyrones suos vult *imò* in vestitu sæculari primam Probationem peragere. *2dò* Arcet illos à consortio Domestico. *3tiò*. Communicat omnia [: ut dicitur :] necessaria maturè providenda. *4tò*. Præscribit distributionem temporis, & occupationum omnium exactè servandam. *5tò* Ut sub obedientia Superioris vivant, & inconsultó illô ne pedem sive intra, sive extra Domum moveant.

Q. *4tò*.

Q. 4to. Vi primæ Probationis quid exigitur à Tyrone Societatis, & Cur?

℞. Lectio Examinis de aptitudine ad Societatem. *2dò.* Lectio Regularum. *3tio.* Lectio Bullarum Apostolicarum, quibus Societas confirmatur, approbatur, laudatur. *4to.* Exhibitio speciminis de sua doctrina ac talentis. *5to.* Collectio triduana. *6to.* Confessio generalis ex tota vita. *7mo.* Manifestatio conscientiæ propriæ. *8vo.* Habitûs sæcularis in Religiosum commutatio. *9no.* Communio Sacramentalis. 10. Ad consortium domesticum admissio. Ratio cur hæc exiguntur est: tum exploratio mutua supra dicta, tum ut in hac solitudine & tædium vitetur, & aliqua rudimenta, inchoamenta & quasi prima lineamenta vitæ Religiosæ ponantur ab illis in virtutibus, quæ in illis etiam tùnc desiderantur, quales sunt modestia, silentium, reverentia omnium, munditíes, & verecundia in incessu, vestitu, aspectu &c. amor orationis & conjunctionis cum DEO, amor solitudinis, studium Lectionis, injuncta hilaritas vultûs, tractabilitas & confidentia cum his quorum curæ committuntur. Vitia verò fugienda in prima Probatione hæc ferè sunt: curiositas, libertas quodlibet audiendi, videndi, indagandi &c. quæ dictis immediatè Virtutibus opponuntur.

Q. 5,

Q. 5to. Cur in prima Probatione Examen legendum proponitur?

℟. Ut ex illo discat clarè Tyro, videat quæ sunt impedimenta ad Societatem, quis item finis, quæ essentia, quæ differentia ab aliis Religionibus, & quæ onera, an apta ejus viribus?

Q. 6to. Cur Regulæ legendæ apponuntur?

℟. Ut Tyro inspiciat ad quod obligatur, & perpendat an possit regulatam vitam deducere, nec non, ut discat maturè, quod non ex cõsvetudine nec casu, neq; exemplis sed Regulîs vita in Societate sit dirigenda. Hinc non vitæ PP. sed Regulæ legendæ illi primò dantur. Bullæ verò Pontificum legendæ proponuntur, 1mo ut Tyro illis tanquam in nucleo contentum Institutum Societatis facilius percipiat, 2*do*. ut videns à S. Sede confirmatam & approbatam Societatem, tantò securiùs ineat. 3*tio*. ut lustrans Elogia & privilegia à S. Sede Societati concessa, tantò libentiùs illam amplectatur & teneriùs diligat, ac tentationibus Dæmonis tantó securiùs resistat. 4*to*. ut discat post biennium Novitiatûs per vota simplicia verum se Religiosum futurum. 5*to*. ut discat post vota non licere sibi sub pœna Apostasiæ propria authoritate à Societate discedere.

Q. 7mò.

Q. 7mo. Cur specimen dandum, & quarè in prima Probatione!

℟. Quia cùm Societas doctos plerumq; viros requirat, debet explorare, an saltem spem futuræ aptitudinis ad scientias habeat tales, quales Religio exigit. Porrò specimen hoc ita facile sit & sine omni rigidiori Examine, ut Tyro neq; colligat, quomodo, & quando hoc specimen ab illo accipitur. Unde etiam patet quàm sit in Societate ingeniosus Tyronum amor, & quàm ab omni etiam minima specie confusionis remotus.

Q. 8vo Ad quid triduana Collectio?

℟. *1mo.* Ut Tyro hac Recollectione fundamentum jaciat vitæ Religiosæ, atq; illis expurgátus, excultusq; tantò dignius Deo & Religioni adhæreat. *2dò.* Ut ad confessionem Generalem tantò exactius & diligentius se præparet, quantò perspicaciùs cognoscet animam suam peccatis sæcularibus sauciatam. *3tio.* ut saltem rudem meditandi praxim contrahat, tanquàm sæpiùs demùm meditaturus. *4to.* ut cognito per exercitia misero animæ statu, & mille à mundo, carne, Dæmone periculis, alacriùs ad vexillum crucis evolet. *5to.* Ut in Collectionibus videat quomodò Dictamina Regularum Societatis cum Dictaminibus

Evan-

Evangelicis & Spiritûs Sancti concordent?

Q. 9no Cur Generalis Confessio in 1ma Probatione injungitur?

R. quia Religio est status Pœnitentiæ; ergo hunc amplexurus ut integrè in servum & adoptivum Filium DEI evadat, omnem in sæculo offensam infinitæ Bonitatis Divinæ retractare, detestari, tenetur. *2do.* Ingressus in Religionem est alter Baptismus. Ergo ut deleat omnia anteacta peccata & crimina, requirit debitam ad id dispositionem, qualis optima est per Confessionem generalem *3tio.* Quia Societas desiderat ut omnes Filii ejus plenè, & integrè DEO reconcilientur, quod constare Societati nequit. nisi fiat Confessio generalis. *4to.* Quia decet ut exuens externè, etiam internè exuat veterem hominem, & totus in novitate vitæ ambulet, quod absq; Confessione difficulter nonnisi fieri poterit. Hinc decet ut Tyro Societatis primò se diligenter paret, non ab ultima t[illegible]ctû, neq; dimidiatam, sed integram totius vitæ exomologesim faciat. *2dò* Ut accuratè Conscientiam examinet, nullisq; amplius scrupulis locum relinquat, ita ut valeat audacter demùm dicere, quod nihil omiserit. *3tiò.* Ut pulso procul omni pudore & metu, sincerè, animosè, confidenter cum Confessario

agat, tanquàm cum DEO. *4to.* Ut antè, in, & post Confessionem, accuratissimè doleat, compungatur, detestetur omnia peccata, proponat emendationem, & confiteatur ex puro & solo amore DEI, ita, ut à Confessione surgat alius homo, quasi renatus DEO, & mortuus mundo, carni, Diabolo, plenus fiduciæ de venia, plenus propositi de novitate usq; ad mortem continuanda, plenus odii in peccata, & in se qui peccavit, spei plenus, amoris Dei, desiderii vindicandæ in se per omne genus mortificationis, læsæ per peccata sua infinitæ Bonitatis & Majestatis Divinæ.

Q. 10. Cur Ratio seu manifestatio Conscientiæ reddenda in 1ma Probatione?

℟. Ut Tyro Patri Spirituali sit notus intimè non ignotus. *2dò.* Ut tantò meliùs in Spiritu dirigatur, & à malis præservetur, & in bono roboretur.

Q. 11. Cur Lectio Spiritualis injungatur?

℟. Ut ex hac Lectione Tyro discat mūdum contemnere, & Institutum Religiosum æstimare, Vocationem amare. *2dò.* Ut Deum ordinariè sub tempus Lectionis Spiritualis ad cor loquentem auscultet, & evolvendo pios libellos tempus fallat, ne tædium pariat.

Q. 12. Quibus modis in hac solitudine foven-

dus

dus Spiritus, & præparandus animus ad sacram Investituram?

℞. Modus est *1mus* indulgere variis affectibus seu actibus, & aspirationibus Sanctis eliciendis ex circumstantia peccatorum, & habituum Sæcularium. *2dò.* Vanitatum in divitiis, honoribus, voluptatibus, sitarum. *3tiò.* Carnis & sensuum. *4to.* Personarum desertarum. *5tò.* Occupationum & studiorum in hac solitudine. *6tò.* Dei Christi, Beatissimæ, Sanctorum. *7mò.* Religionis cum omnibus Regulis, Privilegiis, talentis, & officiis suis spectatæ.

Modus *2dus* est: occupare Cor, mentem variis Considerationibûs & imaginationibûs ad contemptum mundi, & æstimationem Religionis, & amorem Dei ducentibꝰ.

Q. 13. & 14. Quæ praxis potest esse dictorum Actuum? & quis modus Considerationum Sanctarum? vide Cap: 13. & 14.

Q. 15. Proditurus ex 1ma Probatione, quid sibi promittere debeat? ℞. Quod necessariò instruendus & formandus sit in multis, ut dediscat sensim mores, & modum agendi sæcularem, & addiscat, & imbibat Religiosū. *2dò.* Quod sæpiùs monendus erit, & corrigendus ab Instructore, & Officialistis, & Superioribus, quæ monita ut suscipiat gratè oportet, jam illum ad hæc resolutum esse,

ut quando placuerit in erratis, moneatur corrigatur. *3tio.* Quòd defectus sui & errata necessaria, eaq; ac majora manifestabuntur superioribus ad majorem in Spiritu profectum & directionem. Quare tempestivè etiam ad id resoluto animô opus erit, ne alias charitativæ delationes & monita, odium & nauseam pariant Vocationi Religiosæ. Ad quod proderit hoc dictamen sæpè revolvere *1mo.* si errare, deficere, & graviùs labi possum, cur ergo instrui, moneri, deferri, puniri & emendari non amabo.

Q. 16. Quod Beneficium in 1ma vestis Religiosæ assumptione reportabit?

R. Multiplex 1mo. Plenariam per modum Jubilæi Indulgentiam, tam quò ad culpæ, quàm quò ad pœnæ reatum *2dò.* Gratiam Sanctificantem cum omnibus Supernaturalibus donis, & ornamentis habitualibus, cum longè majori augmento, quàm Infantes & adulti sæculares per Baptismum renati à DEO accipiunt. *3tio.* Reportabit jus centuplum adhuc in vitâ accipiendum, & vitam æternam speciali titulo sublimiorem, nobiliorem accipiendam. *4to.* Reportabit Privilegium ad esse specialiter servi, Militis, Martyris, Amici, Socii, Filii, & Sponsi DEI ac Christi, consequenter Cæli Hæredis, quæ omnia Tyroni Religioso in totam vitam & animum addere debent ad omnia ardua cum gaudio superanda, & ingenerare continuum debent omnis noxæ & maculæ timorem, pariter atq; vocationis Religiosæ amorem ferventissimum cum summo & ardentissimo semper proficiendi desiderio. Fiat. Fiat.

F I N I S.

plexyi y ſtáboſć przez Doktorow, to ieſt Medykow rozumnych przez świadectwa dáne każdego [illegible]

[illegible] ze-

[illegible] ráz

[illegible] ek-

[illegible] ná

[illegible] n-

[illegible] Ciało Pańſkie około święta *Wielkonocnego przyiąć.* Te przykazánia

Quîs poteſt occidere.

10. Non occiſor, ſi ſagittas

Caſu in Hominem immittas,

Si non culpabiliter.

11. At non licet duellare,

Vel duellum acceptare,

Excommunicaberis.

12. Loco ſacro non jacebis

Et ſuffragiis carebis

Pro duelli crimine.

A o ſłuſzney Woynie tegoż S. To-

O *SAKRAMENCIE CIAŁA* y KRWIE

P A N S K I E Y.

Pyt: Ná coż ieſt poſtanowiony Sakrá-ment Ciáła y Krwie Páńſkiey?

rą m[illegible] [illegible]cem ſłowem y

uc[illegible] pod ciężkim

ſzkrup[illegible] wychowánie y ćwiczenie

w rzeczach należących do zbawienia ich